Demosthenes

Bartholome

PA 3952
.B3
Copy 1

DE VITA DEMOSTHENIS ORATORIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDRICUS BARTHOLOME
GUESTFALUS.

PADERBORNAE.
EX TYPOGRAPHIA JUNFERMANNIANA.
MDCCCLXXIII.

PA 3952
.B3

VIRO

CELEBERRIMO ATQUE PLURIMUM REVERENDO

SPENCERO NORTHCOTEO

SOCIO QUONDAM IN UNIVERSITATE OXONIENSI,

DOCTORI THEOLOGIAE, CANONICO THEOLOGO ET

COLLEGII ST. MARIAE DE OSCOTT DIRECTORI

AMICO SUO DILECTISSIMO

HUNC LIBELLUM PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Quod tuo potissimum nomine, vir praestantissime, hunc libellum inscriptum atque adeo ornatum voluerim, nemini sane mirum videbitur, qui quantum ego, quocum patriae tuae experte et nativae linguae tirone, quamvis ipse negotiis administrandi collegii obstrictus et versatus in studio litterarum, animi laxandi parum fortasse memor, per otium vel vespertina tempora lectiunculis auctorum anglicorum consumseris, pro singulari hoc favore tibi debeam, sciat, et quanta quam eximia pro tenuitate meae scriptionis ingeniique exiguitate, tua, reipublicae litterariae haud ignota, sit doctrina liberaliumque artium scientia, usu cognoverit. Ac nihil igitur, nisi ut hoc exile ingenioli monumentum, pusillas meas litterarum primitias, novum tuae benevolentiae documentum exhibiturus, indulgentia, tuorum morum propria, aestimes quaeso atque ut munus grati tuique studiosissimi animi hoc opusculum, inauguralis quae vocatur dissertatio, benigne velis excipere, opto atque cupio. — Vale. —

„Hominis tota vita nihil aliud
quam ad mortem iter est".
Senec.

Si accuratius replicamus veterum Graecorum memoriam ac praesertim quidem eam partem, quae est de eorum litteris, facile inveniemus, omnem humanitatem profectam esse a poetis, poetas quum primos fuisse historicos, quos graeco nomine logographos vocant, tum etiam primos coluisse artem oratoriam. Certe quidem illi poetae epici res gestas memoriae non tradiderunt veritatis studiosi, sed, id quod imprimis poetis est propositum, ut mulcerent aures oblectarentque legentium animos fingendi arte, vel ut ait Livius: „Poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis" (Livius praef.), neque elementarios illos poetas oratores tali artis oratoriae laude floruisse, quali posterioris temporis doctores eloquentiae, sed fuisse tantum praecursores, ut ita dicam, illius artis, luce clarius est; nihil enim simul et inventum et perfectum est, sed ut omnia, quae in rerum natura sub adspectum veniunt, ab exiguis proficisci initiis videmus, ut nostrammet ipsorum aetatem a primis cunis gradatim ad extremam senectutem provehi sentimus, ita hanc quoque artem non provolasse, sed paulatim processisse et longo temporis spatio pededentim ad summum illud perfectionis fastigium, quod non sine gravissimis causis admirationem virorum doctorum cujusvis aetatis semper in se convertit, perductam esse scimus. Quamvis quidem, ut paucis delineem, quomodo oratoria ab infimo nata a poetis

per gradus ad summam perfectionem processerit, ante Pisistratum et Solonem nullum insigne oratoriae lumen exstitisse constet, attamen ex Homeri carminibus, quae redundant concionibus, si hoc vocabulo uti licet, quibus animi incitentur ad arma capessenda, vel laudibus efferantur fortes vel vituperentur imbelles, eos quoque, qui ante illud tempus vixerunt, huic arti aliquid operae navasse, satis apparet. Exempli gratia hoc loco tantum admoneam de Nestore, qui heros apud Homerum eloquentia est celeberrimus, et de Menelao, Agamemnonis fratre, quem Homerus plus semel inducit loquentem, at paucis: „*Παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος*“ (Iliados III. 214.) Tum vero vix dubitari potest, quin haec ipsa carmina aliquantum etiam habuerint auctoritatis in eloquentiam, quam vocant graecam, non supra annum sexcentesimum a. Ch. n. repetendam. Quid enim, quod viri docti omnium temporum una voce profitentur, Homerum fontem perennem ingeniorum, patrem, magistrum et ducem esse poetarum ejusque carmina nullum litterarum genus intactum quodammodo reliquisse, nonne eadem plus minusve valuisse quoque putabimus ad eloquentiam? Neque cuiquam hoc mirum videbitur, siquidem diligentius animo reputaverit, Graecos Maeoniden numine afflatum et divina natura praeditum atque ejus carmina divinae esse originis arbitratos itaque tanta apud eos fuisse auctoritate, ut Solo instituerit, ut partes eorum selectae, Pisistrato auctore in unum corpus collectorum, certis diebus festis publice recitarentur. At nullum profecto habeo luculentius argumentum, quo demonstrem, quantum poesis valuerit ad eloquentiam, quam quod Parmenides philosophus suos discipulos philosophiam docuit versibus, et quod sermo, quo ipse Solo usus est in conscribendis illis legibus, quas Atheniensibus dedit, valde redolet consuetudinem poeticam, et quod denique est maximum, oratio ejus praeclarissima ad Athenienses habita, qua imprimis oratoris gloriam adeptus est, nihil nisi poema fuit. Ceterum relictis his primordiis et quasi praecurrentibus oratoriae, in quibus praeter verborum gravitatem elegantiamque atque volubilitatem et agilitatem quandam sententiarum nihil fortasse commemoratione digni reperiri potest, ejus aetas juvenilis, ut jam supra indicavi, incipit cum Solone. Qui quamvis disertus inter aequales omnium

maxime floruerit, nihilominus ejus quoque facultas dicendi appellanda est potius eloquentia imperatoria, ut ita dicam, quam ars oratoria, quum et ipse et alii ejusdem saeculi majore uterentur auctoritate apud populum propter gloriam rerum bene gestarum quam bene dicendi, neque nimium de eorum gloria detraxisse mihi videor, si eos, qui parum incumbentes in litterarum studia nimis carebant certis doctrinae fundamentis, et rudes erant earum rerum, quas summas in oratore requirimus, appellavero tirones tantum hujus artis, praesertim quum eam comparaverimus cum politiore ejus perfectionis gradu posterioris temporis. Solone enim mortuo jam inde a bellis Persicis usque ad bellum Peloponnesiacum, quo quidem spatio Athenas, quae jure ac merito oratorum patria appellantur, uberrimas fuisse scimus et gloria rerum gestarum virisque optime de patria meritis, Athenienses ad id quoque processerunt famae quum ceterarum litterarum tum artis oratoriae, ut recte Thucydides Athenas appellet magistram totius Graeciae. („*Ξυνελών τε λέγω τὴν πᾶσαν πόλιν τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν εἶναι.*“ Thucyd. II, 41.) Ac primum quidem haud negari potest, quin sophistae, de quibus alias plura, quamvis multa haud injuria vitio iis vertant, aliquid attribuerint ad artem dicendi colendam. Sane quidem splendoris et speciei magis quam rei sectatores formam praecipue dicendi spectantes inani quodam vocis sono decorabant sapientiam, sed cum hac re non pugnat, Protagoram Abderiten, Gorgiam Leontinum, Hippiam Eleum et alios valde calluisse artem oratoriam atque iis temporibus, quae proxima erant ante bellum Peloponnesiacum, multos miro et paene incredibili studio ejusdem artis inflammasse. Tum vero licet illi viri ut Alcibiades, Cleon et multi alii, quos supra de oratoria meritos significavi, duces militum non initiati fuerint elegantia ac subtilitate, quibus lumina hujus artis adeo excelluisse constat, in pueritia tamen et ineunte adolescentia sapientiae vacabant neque alieni a certis oratoriae regulis aliquantum navarunt studii commentandis componendisque orationibus, quas flore quodam atque artis colore aspersas satis intelligitur ex paucis illius temporis, quae sola supersunt, Antiphontis Rhamnusii oratoriae momumentis. Sed ne longus sim in enumerandis illis viris, qui haud minorem gloriam adepti sunt imperatores

rei militaris peritissimi, quam oratores ut illis temporibus in dicendo exercitatissimi omissis multis aliis: quis est, qui nesciat, Periclem Atheniensem adeo prae ceteris suae aetatis excelluisse non solum summis de republica meritis, verum etiam facultate eloquentiae, ut sine ulla controversia longe omnium princeps multos per annos publico praeesset consilio atque in liberrima reipublicae forma ad ejus unius arbitrium res gravioris ponderis referrentur? Si hujus esset loci et temporis disputare, quam grande et sublime ejus fuerit genus dicendi, testes afferrem viros praestantissimos eosque in hac re maxima auctoritate dignos, ut Cicerones, Quintilianos et Gellium, quorum hic magnam Periclis artem dicendi admiratus hac utitur voce: „Bonisque omnibus disciplinis ornatus, praesertim eloquentiae facultate qua tonare cum concionaretur et fulgere". (Gell. I. c. 3.) Quamquam quid ego alios? Num ejusdem rei, ut praestantissimum eligam exemplum, ullus inveniri potest testis luculentior, quam ejus ipsius oratio funebris, quam memoriae tradidit Thucydides quamque refertam difficillimis locis et perobscuris semper specimen oratoriae perfectissimum, qui illo tempore erat gradus ejus perfectionis, laudarunt viri docti? Sed haec quidem hactenus: jam videamus, quae oratoria facta sit post illud tempus, quo florebat Pericles. Judicio artis peritissimorum Periclis aetate certo quidem effloruerat ad amplam perfectionis gloriam et re vera non paucis jam florebat virtutibus, quas artifices hujus artis inesse volunt in oratore perfecto quasque infra uberius persequar. Namque quum oratoria a viris variâ scientia praeditis tractata, litteris haud leviter jam esset tincta, utpote qui ad id, quod agebatur, apte congruenterque dicerent, prima aetate oratoriae quasi praeparatoria comparata cum fundamentis aedificii construendi jaciendis, hac aetate magnam aedificii partem non sine aliqua arte ornamentisque confectam jam vides; at, ut in eodem verter simili, extremam artificis manum operi accessisse nondum videmus, nondum videmus oratoriam evectam ad illum praestantiae gradum, quem Cicero exemplar perfectae eloquentiae imitandum summis laudibus extollit. Ad illud vero perfectionis acumen nisi spatio centum annorum non perducitur. Et haud scio an ulla aetas usquam terrarum orbis illa ditior fuerit oratoribus praeclarissimis et rhetori-

bus, qui oratoriam profitentes mercede docebant. Horum multos quidem, a Platone Aristoteleque saepissime vituperatos, odioso sophistarum nomine, fictam quandam et inanem sapientiae speciem jactitasse scimus; at quis ignoret, decem quos vocamus oratores, quos suo quemque loco nominabimus, magnam partem ex eorum numero eadem aetate processisse? Qua aetate oratoribus excellentissimis uberrima atque illustrissima praeterlapsa, Calauriae in templo Neptuni una cum interitu Graeciae libertatis videmus virum veneno sibi ipsum mortem consciscere, ne vivus cum periculo capitis in potestatem Macedonum veniret, qui summo omnium consensu tantus erat orator, ut non solum nemo neque aequalium neque posterûm eum superaverit, sed ne aequarit quidem, atque ut artem oratoriam ab aliis imperfectam relictam ad ejusmodi perduxerit perfectionem, ut nihil ferme quisquam ad eam addere possit, in quo, teste Fabio, nec quod desit nec quod redundet invenias, quare Quintilianus haud injuria eum appellat „legem orandi.“ (Quintil. Inst. Orat. X. 1. §. 76.) Est autem Demosthenes, Atheniensis, cujus miram eloquentiae vim ejus inimici non minus admirati sunt quam amici, et ego quoque ejus orationes maximis semper in deliciis habui jam inde ab eo tempore, quo per aetatem magistris bene adjuvantibus primum animo eas cernere atque intelligere poteram. Et libenter profiteor me iis legendis aliquantum imbuisse operae, quocirca ad maturitatem aetatis provectus ejus vitam hoc libello conscribens votum exsequor jam pridem conceptum; quamvis, quum de ejus vita disserturus accingar, religione quadam movear, verens, ne ad grandiora accedam tenuis, quum ad ejus vitam digne conscribendam opus sit eloquentia Demosthenica, a me prorsus aliena. Sed quoniam ita mecum constitui, exercitii gratia potius quam scribendi studio, habenti stilo pauca, quae ex multis brevitatis causa collegi, invita Minerva, veluti quodam remisso freno subnectere conabor. —

Magis significavimus supra quam exposuimus, Atticam fuisse patriam oratorum et magistram litterarum cujusvis generis; priusquam igitur accedamus ad rem propositam, perpauca praemittenda videntur, quibus rei obscurae, quantum brevi fieri possit, lucis afferamus. Primo enim mirari

subit, qui factum sit, ut, de quo nemo ambigit, in Atticam tam parvo circumclusam terrae spatio atque ubertate agrorumque fertilitate ceteris Graeciae partibus (cf. Thucyd. I. 2.) longe inferiorem, tamquam in litterarum palaestram tot confluxerint doctores praeclarissimi et juvenes undique gentium litterarum cupiditate flagrantes, ut summo jure litterarum universitas orbis appellari potuerit; ut porro ex illa litterarum officina tot provenerint viri docti, quot ex nulla alia; ut inde denique semper repetierint viri docti et tamquam e fonte hauserint sapientiam cujusvis generis. Non est hujus loci causas illius rei planissime explicare, quae, ut summis lineis eas adumbrem, praeter mores et naturam populi in legibus formaque civitatis positae videntur. Sed demta hac re, unicuique, qui mediocrem tantum contraxerit familiaritatem cum Graecorum litteris, satis notum est, triumviros illos tragoediae conscribendae, Thucydidem, Xenophontem, historicos praeclarissimos, Periclem, eloquentia praestantissimum, Platonem, philosophorum principem, Socratem, ex oraculi responso omnium Graecorum sapientissimum et, ut brevitatis causa multos alios commemoratione dignissimos omittam, Demosthenem, qui unus tanti aestimandus est quanti multi alii, Athenis vel extitisse vel aetatem degisse, atque florem, splendorem ac praestantiam Graecarum litterarum, quibus multi frustra inviderunt, una cum Athenarum principatu administrandae Graeciae periisse. Quae quum ita sint, quid mirum illud Ciceronis: „Hinc Athenae aliquando pro litteris ipsis ponuntur"; et alio loco: „Sed major laus, ait, omnis generis litteras ibi inventas atque excultas fuisse, ut ea urbs communis magistra diceretur". Jure igitur Plato Athenas appellat: „πρυτανεῖον τῆς σοφίας". (Plat. Prot. 337.)

Sed ne justo longius aberrem a proposito, quamquam quidem ex Demosthenis vita jam inde a pueritia usque ad ejus mortem omnes res eaeque vel minimae, quarum nostra interesse potest, quam accuratissime memoriae sunt traditae, quoad annum, quo natus sit, tanta est rei summorum virorum quum antiquorum tum recentiorum sermone multum agitatae diversitas, ut aliis ad stabiliendam sententiam aliquam alia proferentibus argumenta fere nescias, quam potissimum sequaris ex hac opinionum turba, quas propter

exiguitatem spatii propositi latius hoc loco scribendo non persequar. Et quantum ego quidem conjectura assequi possum, nulla omnino re haec difficultas certo summoveri potest, adeo jacet in tenebris. At mihi, ut id, quod sentio, dicam, illarum opinionum argumenta diligenter penitusque perpendenti assentiendum visum est Libanio et Gellio, qui anno 382 a. Ch. Evandro Athenis archonte Paianiae, (*Παιανία*) qui erat pagus atticus, eum natum esse affirment, (cf. Clinton, „Fasti Hellenici" p. 348 sqq. et Schaefer: „Demosthenes und seine Zeit") quippe qui non solum maxima utantur auctoritate in aliis rebus historicis, sed, quod est caput, quum ille annus optime congruat cum aliarum rerum tempore et cum anno, quo ex ipsius Demosthenis scriptis eum natum esse colligimus. Quod pertinet ad ejus patrem, cui idem ac filio erat nomen, ac munus, quo exercendo satis magnam sibi confecit pecuniam, uno fere ore tradunt scriptores, eum fuisse virum opibus ac bonis florentem, quare per se patet, ex optimatibus eum fuisse Atheniensium, quod quidem Athenis illo tempore erat *τιμαρχία*, qua forma civitatis nobilitas maximam partem pendebat ex re familiari. Jure igitur Plutarchus Demosthenem appellat „*καλὸν κἀγαθόν*", neque mirum, quod Aeschines, inimicissimus aemulus Demosthenis oratoris, facere non potest, quin eum appellet „*ἄνδρα ἐλεύθερον*". Tum vero ex auctoribus maxima fide dignis Demosthenem patrem, id quod satis inepte dedecori verterunt Demostheni oratori, non fabrum aerarium, ut Romanorum affirmant scriptores satyrarum, (Juvenal. Sat. X. 126 sqq. et Horat. sat. II. 3. 8. 7. 14.) fuisse colligimus, sed in amplissima officina multos adhibuisse servos gladiorum fabricandorum peritissimos („*μαχαιροποιός*"); neque poetarum auctoritatem in ejusmodi rebus magni faciendam dilucide apparet, quippe qui haud raro, ut cuique res fert, veritatem aptent suo arbitrio atque voluntati quamvis a re remotae. Ad oratoris matrem quod attinet, ejus pater in matrimonium duxerat Cleobulen, filiam Gylonis, Atheniensis, qui Aeschine auctore ob crimen proditionis in exilium missus mulierem barbaram duxerat. Verumtamen quo rectius judicemus de hac re, iterum in memoriam revocemus idque certe teneamus, Aeschinem nullam praetermisisse occasionem mores Demosthenis oratoris maculis aspergendi officiendique vel

facultati ejus dicendi vel peritiae dialecti atticae, ut ejus famae noceret gloriamque infringeret. At licet Aeschini in hac re haud magna fides habenda sit propter magnam ejus inimicitiam in Demosthenem, (quis enim cuiquam inimicior unquam quam Demostheni Aeschines? „Οὐκ ἔχομεν εἰπεῖν εἴτ' ἀληθῶς εἴρηκεν, εἴτε βλασφημῶν καὶ καταψευδόμενος. Plut. vit. Dem.) fac Cleobulen ortam esse de matre barbara, haud scio an hic ipse sanguis mixtus matris barbarae cum patre Atheniensi fuerit res gravis momenti mirae magnitudinis Demosthenis oratoris. Omnibus enim probatum est, indoli gentis atticae, ortae a Jonibus, rigidam quamdam firmitatem insitam haud facile excitandam ad celeriter percipiendas res sensibus vel menti subjectas, sed constantiam gravem et propositi tenacissimam, cui admixtus erat vehemens animorum ardor, unde etiam factum est, ut omnia litterarum genera in Piraeum, quasi in suum domicilium invecta, celeriter ad summam perfectionem proveherentur. Illa animorum indole gentem Doricam ab Jonica omnino dissedisse audimus, quae quam facillime patebat iis rebus percipiendis, quibus hominum sensus atque animi excitantur, sed prorsus aliena erat a constantia, quare penitus in ipsam rem paene intimam pervenire non poterat. Attici igitur, ut medium quiddam tenerent inter Jonicam et Doricam gentem, evitatis vitiis utrorumque virtutes, quantum fieri poterat, conjungere studebant. Sed ut unde defluxit eo redeat nostra oratio, de Demosthenis aetate maturissima nihil fere memoriae mandatum est neque quidquam memoratu digni ei evenisse videtur, sed ut rivulus, priusquam cum flumine misceatur vel in mare procellis jactatum se exoneret, utrimque virgultis vepribusque clausus obsitusque et nulla tempestate vel imbre agitatus tranquille in alveo decurrit, ita anni primae ejus pueritiae cura ac diligentia parentum defensi placide praeterlapsi videntur usque ad annum septimum aetatis, quo, quum vix teneros unguiculos reliquisset, praematura et parum opportuna mors patris ejus animo juvenili grave inflixit vulnus.

Namque ut jam supra dixi, pater Demosthenis de rebus domesticis bene quidem constitutus erat, quum autem filius, qui sorore natu erat major, nondum ad id aetatis provectus esset, ut hereditatem adire posset, ex lege, qua sancitum

erat, ne cui liceret, ante annum duodevicesimum, nisi fallor, aetatis hereditatem cernere, patrimonium administrandum commissum est curae ac tutelae Aphobi Demophontisque affinium, adjecto Therippide, qui summa Demosthenis mortui familiaritate et consuetudine fructus erat. Illi vero fefellerunt spem et fiduciam, quam in iis posuerant; tantum enim aberat, ut potestate permissa, id quod debebant, uterentur ad res pupillorum augendas, ut eas pessumdarent suoque haberent quaestui. Nulla sane dubitatio esse potest, quin ejusmodi res Demosthenis pueritiam admodum duram reddiderint, at ex altera parte easdem res mentis ejus facultatibus excolendis moribusque conformandis permagni fuisse momenti valde suspicor, quum jam in proverbium abiisse sciamus, aerumna damnoque accepto nullam esse meliorem vitae magistram. Etenim quum patre mortuo ne affinibus quidem suis se confidere posse intelligeret, nonne hanc rem ad ejus animum permanasse eumque admodum juvenem docuisse putabimus, sibi multis in rebus semet ipsum ducem esse sequendum, itaque diram necessitatem ei addidisse stimulos non solum ad excolendam indolem, ut ingenuum decet Atheniensem, qua quidem re parem se redderet difficultatibus communis vitae recte dijudicandis et cogitate tractandis, verum etiam eum impulisse in arripiendum oratoriae studium, quam edoctus convinceret administratores patrimonii male administrati. Immo equidem animi non pendeo, quin eadem res, foeditate perfidiae intellecta, prima eum docuerit divinam illam virtutem justitiae, qua posteriore tempore aetatis omnium maxime floruit. Jam vero disciplina utebatur Isaei, qui eo tempore Athenis vivebat a scriptoribus impense laudatus quum propter summam facultatem et ubertatem dicendi, tum etiam, quod ejus proprium fuisse videtur, quia prae ceteris oratione semper utebatur nervosa, qua re Demosthenem maxime commotum ferunt, eo uti magistro. Orationes ejus, quae supersunt undecim, sunt de litibus hereditariis, „λόγοι κληρικοί“, ac multum adhibent luminis eis quorum doceri interest, quid illo tempore sancitum sit de hereditate et quoties et quam graviter illae leges sint violatae. At sunt, qui mea sententia in errorem inducti affirment, Demosthenem praeter Isaeum praeceptores quoque habuisse Isocratem et Aristotelem scholisque interfuisse

Platonis. „Ex Demosthenis“, ait Cicero, „epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor“. Sed quod attinet ad illud Ciceronis, haud in magno ponemus discrimine, siquidem memoria repetierimus, semper in dubium vocasse viros doctos, Demosthenem esse auctorem illarum epistolarum. Neque etiam sequi possum sententiam eorum, qui Isocratem et Aristotelem doctrinis eum excoluisse volunt, quod quidem argumenta, quae afferunt, nimium vacillant et claudicant; ceperunt enim documenta ex similitudine Demosthenis cum Isocratis Aristotelisque scriptis. Ac primum licet nonnullam quidem similitudinem et verborum et sententiarum in iis reperiri haud negari possit, non est ejusmodi, quae nos cogat, ut illam opinionem necessariam esse fateamur; at ejusmodi similitudine vel concessa, ne inde quidem necessario jam ratio est concludenda, Demosthenem fuisse discipulum alterutrius. Demosthenes Athenis vivebat eodem tempore, quo Plato et Aristoteles ibidem florebant atque satis in promptu est, ejusmodi viros auctoritate sua plurimum inter se valuisse, quamvis alius alium non doceret magister, atque inde illam similitudinem ortam esse suspicor, qua quidem re Demostheni evenisse videtur idem, quod dubito an multis aliis. Huc accedit quod Dionys. VI, 723 Demosthenem se tradidisse in disciplinam Aristoteli refellit eo, quod probat, Demosthenem optimas scripsisse orationes suas, antequam Aristoteles in lucem emisisset: „ῥητορικαὶ τέχναι“. Quid vero, quod Isocratis fertur fuisse discipulus? Nequeo, quin ad hanc quaestionem respondeam quaerendo, quomodo illa opinio reconcilianda sit famae, quae fert, Isocratem repudiasse, quominus Demosthenes ipsius interesset scholis, quum pecuniae penuria non habuisset unde sumeret mercedem ei solvendam. Verumtamen ut paucis absolvam, quae ab aliis dilatata sunt, (neque enim hujusmodi quaestiones subtiliter persequi mihi in animo) Isocratem praeceptorem fuisse constat Isaei, quare Demosthenis sententias Isocratis saepe similes apparere facili negotio intelligitur. Sed revertamur ad rem, unde digressi sumus. Demosthenes primo „ἀνὴρ δοκιμασθείς“ Isaei intererat scholis cum aliis, qui eidem atque ipse studebant arti; ubi vero ex aetate minori excessit, Isaeum eo auctore dimisisse ferunt rhetoricae scholam, quam usque

adeo habuerat, ut unum Demosthenem disciplina suae artis instrueret. (cf. Plut. c. 5; Liban. 3 p. 5; Vit. X orat. 839.) Quamvis nihil quidem certi afferre possimus argumenti, satis profecto est probabilitatis, qua nixi jure dubitemus, an ea sola fuerit causa plane commutandae pristinae ejus docendi consuetudinis; neque errare mihi videntur ii, qui quaestionem de tutela ferendam (Demosthenes enim litem jam dudum intenderat tutoribus) imprimis eum incitasse arbitrantur, ex schola publica in suam domum trahere Isaeum, quem magnum usum in ejusmodi causis habuisse jam supra docuimus, ut ejus consiliis quolibet posset uti tempore; illorum inquam opinio haud vituperanda videtur, utpote quae maxime nitatur sententiarum argumentationisque similitudine inter Demosthenis et Isaei orationes, quae nonnullis locis tanta est, ut, si utriusque libros in manus sumpseris, saepe fere nescias, utrum legas partes orationis discipuli an magistri; ejusmodi vero similitudinem non casu ortam, certo certius est. (cf. Isae. orat. VIII p. 70 et Demosth. c. Onet. §. 40.) Ut igitur in suam Demosthenes pervenit tutelam, ex consilio jam pridem inito in jus vocabat tutores avaros et infidos, qui rationem redderent de tutela male administrata. Illi quidem haud ignorantes, sese nimis in suos usus convertisse patrimonium administrandum, nihilominus cum puero non satis perito sibi rem esse rati semet ipsos in errorem induxerant, fore ut causa incognita ejus optata expleri possent, domo patris, ut ait Demosthenes ipse in oratione c. Aph. I. §. 7, quatuordecim servis et triginta minis argenti ex fortuna pupillari recuperatis. Sed ista spes eos fefellit et omnino ad irritum est redacta studio et diligentia Demosthenis, in quo duodeviginti annos nato prudentia jam inerat circumspecta et fere senilis. Fraudis enim crimine arcessiti atque Demosthene ipso suscipiente defensionem causae quinque per annos tractae, judicum sententiis magna pecunia damnati sunt, neque utrimque sine acri certamine et magna Demosthenis mentis acie causa acta videtur, quippe qua Viperae „Ἀργᾶς“ cognomen ei sit inditum. (Plut. vit. Demosth. c. 4.) Quatenus vero jus suum integrum in iis retinuerit Demosthenes quantamque ei restituerint pecuniam, minus convenit inter auctores, in id vero omnes fere una voce consentiunt, haud grandem eum recuperasse pecuniam. Neglecta autem quae-

stione pecuniae ex judicum sententiis solvendae Demosthenes causa illa acta haud parvam adeptus erat gloriam, quae in ejus animo aliquid fundamenti jecisse videtur posterioris ejus vitae cursus. Haec quamvis parva initio scintilla haud ita multo post magnum excitavit incendium; audito enim aliquando Callistrato oratore, qui magno cum applausu populi causam agebat, Demosthenes („trahimur omnes", ait Cicero in orat. pro Archia (11, 26.) „studio laudis et optimus quisque maxime gloria ducitur") ab eo inde tempore statim rationem vitae institutam penitus commutavit et, qui antea erat rhetor, relicta illa vitae conditione alterius vitae quoddam initium orsus, in studium eloquentiae incubuit. Memoria retinens certamen illud vehemens cum tutoribus consertum fretusque victoria ab iis gloriose reportata, ausus est etiam escendere in rostra concionaturus ad populum. Verumtamen non solum non tulit omnium plausum, sed propter maxima naturae impedimenta, quodque praeterea ratione et via non satis disputans, in arbitrium venit Atheniensium, qui teretes aures habentes et intelligens judicium quam severissime aestimabant, tam infelicem habuit exitum, ut omnium risu concitato capite demisso tristique animo domum abiret. Jamjam haud multum aberat, quin illa vituperatione necopinata, quae ei subeunda erat, adductus omnino desisteret a vitae ratione modo suscepta. At aliquando secum volventi rem, quam modo dixi, ambulans forte obviam factus est ei Eunomus quidam, qui desperatione in ejus vultu eminente in cogitatione defixum eum videns, ac nihil mediocre in eo inesse persuasum habens, ut ad sanam mentem eum revocaret, hac fere usus est voce: Quidnam rei est, Demosthenes, quare tam tristis incedas? Insipienter agere mihi videris, quippe qui, nisi mea me fallit sententia, temere desperes ac animo deficias, quod fortuna concionanti parum tibi faverit. Abjecta animi perturbatione et aegritudine intelligas quaeso, in te esse dicendi facultatem Periclis haud inferiorem; atqui corpore non satis exercito ad usum forensem nimia desponsione commotus cum tuo dedecore non conaris pro rostris dicere. Ejusmodi opprobriis incitatus iterum ausus est in forum prodire; quum autem perorasset et iterum aeque atque antea sibilatus ac optima spe prosperi eventus frustratus de rostris descen-

deret, tanta desperatione jactatus est, ut fortasse orator omni laude cumulatus non floruisset, nisi Satyrus quidam, histrio, misericordia affectus eum, diffisum ingenio suo et de semet ipso plane desperantem, domum secutus benignis allocutus esset verbis suisque sustinuisset consiliis. Cui quum animo consternatus et quasi contractus omnia effudisset, quae acerbum dolorem ei inusserant, ille, efficacem ejus desperationi medicinam adhibiturus, Recites, inquit, oratiunculam unius ex Euripidis Sophoclisve tragoediis. Demosthenes, utriusque declamatione obiter comparata, quantum inter suammet ipsius et Satyri pronunciationem interesset edoctus, a desperatione ad spem revocatus pronunciationem non esse in oratore rem inferioris momenti plane intellexit, quapropter ab eo inde tempore summo cum studio et assiduitate omnem conferebat operam severitatemque in superanda naturae impedimenta, quae aditum ad rostra ei obstruxisse videbantur. Hoc loco quam breviter perstringam, quae fuerint illa impedimenta quantumque operae navaverit Demosthenes iis emendandis, quo majori ei vertamus laudi, quod naturae dotibus, quae Aeschini aliisque insitae erant oratoribus, ad dicendum non factus suamet ipsius exercitatione et studio non mediocri, immo industria a nulla omnino recedente difficultate subeunda ad ejusmodi pervenerit acumen praestantiae, ut haud sciam an nemo apte ei comparari possit. Ac primum quidem jam iis, quae modo diximus, eum pronunciatione parum potuisse satis indicatum arbitror; etenim vocem habebat tam exilem et praeterea in pronunciandis litteris adeo labantem, ut foro auditoribus referto remotiores a rostris concionantem vix eum audire possent atque audientes eum saepe risum tenere nequirent, praesertim quum pronunciaret certas litteras consonantes, inter quas prae ceteris numeranda est prima littera artis, quam ipse profitebatur, in quibus pronunciandis adeo haesitabat, ut ejus aequales vulgo eum appellarent Balbum. Jam vero in contionem ascendens nimis exili voce usus vituperationis causam risusque occasionem praebuit, non, quod quidem haud raro fieri solet, tam sua culpa, inertia vel desidia, sed imbecillitate potius corporis; laterum infirmitate spiritusque tenuitate, quibus iisdem rebus puer prohibitus, ne interesset exercitationibus in gymnasiis, male semper audiebat inter

aequales. Ad quae si addideris, eum, ut ejus vitae scriptores narrant, minime calluisse actionem, quae in oratore res est gravis momenti, ac praeterea in dicendo consuetudine nescio qua ratione orta alterum humerum non decenter movere solitum, facile intelliges, haud immerito ejus orationes iterum vituperatas esse; neque Demosthenes ipse semel monitus de pondere illius vitii ipsi inhaerentis, pro suo studio praetermisit, quominus utilitatem caperet ex occasione oblata, verum angustius a natura instructo maximam sibi operam illis vitiis emendandis adhibendam ratus, ne sibi ipsi deesset, nihil antiquius habuit, quam ut pro virili parte assiduas subiret exercitationes laboresque vel difficillimos, quibus haud minorem sibi paravit gloriam, quam orationibus suis scriptisque; ac recte quidem, quod alterum ex altero natum est. Namque ut vocem suam tenellam redderet graviorem, concionum fluctus sibi fingentem ad fluctus maris magna tempestate agitati ajunt eum in dies declamare solitum, quo factum est, ut, nulla mora naturae parum fautricis erudiendae formandaeque interposita, voce tandem uteretur sonora atque clara. Quid porro satis dici potest de magna ejus perseverantia et exercitatione laboriosa, quam spiritum angustiorem lateraque infirmiora in contrarium commutaturus strenue suscepit? Namque calculo ad id in os suum injecto montem ascendens multos versus uno spiritu recitasse perhibetur. Huc accedit, quod ante speculum stantem actionem gestumque eum exercuisse ferunt, gladio e lacunari suspenso, qui motibus humeri, quos supra commemoravi, non evitatis, corpus graviter se vulneraturum minitabatur. Nonne testimoniis satis veris confirmatum est, eum, ut sibi ipse demeret copiam exeundi, ne prohiberetur, quominus strenuam studiis navaret operam, parte capitis rasa, ab omnium conspectu recessisse atque tres menses continuos in subterraneo cubiculo, quod quidem Plutarchus se ipsum vidisse affirmat, moratum esse? Eodem attinet, quod diserte disputavit Cicero, dicens: „Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? qui dolere se ajebat, si quando opificum antelucana victus esset industria.“ (Cic. Tusc. IV. 19.)

Haec fere habui de Demosthenis industria non comparanda ac studio haud fatigando, quae dicerem, auctoritatem eorum, qui de ejus vita scripserunt ac praesertim fidem

secutus Demetrii Phalerei, qui Demosthenis aequalis multas ejusmodi res ex ipso se audisse affirmat. Quae quamvis exaggerata videantur, evidenter tamen ostendunt, qualis fere hominum de eo existimatio fuerit, atque ut mel ex favis non profluit, nisi maxima apium sedulitate collectum, ita dulcedinem ejus eloquentiae non sine magno labore ac sollertia comparatam, neque igitur possum, quin hoc loco paucis admoneam de illa voce Horatii, utpote quae tam luculenter in Demosthene probetur: „Doctrina sed vim promovet insitam". Sed his missis Demosthenes bello Phocensi exardescente („*τοῦ γὰρ Φωκικοῦ συστάντος πολέμου*" cf. Dem. de corona. §. 18) anno 356 rem publicam adiit et anno 354 „*περὶ τῶν Συμμοριῶν*" Athenienses contra Philippum excitaturum longo intervallo pro rostris iterum dicentem sicut ex folliculo, ut parva magnis conferam, erucae deformis, chrysallide involutae, pulcherrimus evolat papilio, ita eum, antea oratorem imperfectum et plus semel sibilatum, aliquamdiu ab hominum oculis remotum, abundasse, quod in aliis mediocriter, nullo pacto improbari potest; magis proinde equidem nunc intelligo illud Horatii: „Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, Si modo culturae patientem commodet aurem". Ac jam inde ab eo tempore, quo non sine multo sudore et labore satis parem se reddiderat reipublicae capessendae totum et corpore et animo in ejus salutem se conferens, multis ac variis excelluit virtutibus et magis magisque summum tenuit locum in oratoria. Quod ut credas eo magis propensus eris, si cursum ejus vitae ab eo tempore actae quamvis celeriter mecum perstrinxeris.

Nunc accedo ad eam mei propositi partem, qua arduum quoddam mihi objectum iri jam praevidi, incertus, utra abhinc filum orationis deducturus via progrediar, multorumne historicorum more singulos deinceps aetatis annos perscrutans annales modo ejus rerum gestarum, si ejus opera oratoria hoc quoque nomine appellare licet, simpliciter conficiam, an illarum rerum gestarum potius indagem arterias, ut ita dicam, et venas nervosque, quibus quasi spiritum duxerunt sanguisque per eas quasi per corpus diffusus est; ejus mores intelligo, quibus in omnibus rebus ducebatur, atque miras dicendi virtutes. Haesito an animi inclinatione

juvenilis aetatis nimis forte propria, quippe qua nulla ingenii mediocritas, verum perfectio omnibus numeris absoluta, immo ingenii excellentia animo saepe concepta ante omnia delectent, hanc alteram viam, ejusmodi oblectamentis obsitam, illi vulgatiori ac tritissimae praetulerim; sed, ut res fert, suo utramque loco simul ut carpam operam dabo. Materiam sane meis disputandi viribus imparem mihi subjectam esse video, praesertim quae tractanda vel viris doctrina et eruditione excellentissimis scrupulum injecerit, quare ejus narrationi libenter supersederem prae metu, deterendi Demosthenis laudes exiguitate mei ingenii, verum ne opus semel inceptum inchoatum relinquam, ad finem id perducere conabor vel metu subeundae vituperationis, atque summa ope enitar, ut rem, ut potero, breviter ac perspicue pertractem. Nescio an bene rem ita instituam, ut, quamvis utrumque in idem incidat tempus, mores ejus administrandae reipublicae describendos secernam a virtutibus ejus oratoriis dijudicandis; progrediamur igitur et institutum ordinem persequamur. —

Et primum quidem, ut de ejus moribus pauca disseram, eo excelluit patriae amore, qui nihil sectaretur, nisi illi utile esset, qui amor tantus in eo inerat, ut nesciam, an in nemine fuerit similis, nedum major, quare non dubitavit dicere in oratione „de corona“: „*Οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίδι.*“ (Orat. de Corona, §. 205.) Quam acri patriae amore flagrarit, jam inde facile intelligas, quod paucis diebus post filiae carissimae mortem, qua nihil parentum animis acerbius esse scimus, Philippi morte de improviso in Graeciam nuntiata, non mutata veste indutus est visus, sed libertatem patriae jam tutam esse ratus suummet ipsius moerorem negligens laetabundus una cum civibus exsultavit in ejus morte, quum summo errore implicitus Alexandrum juvenem flocci faciens appellaret „*Μαργίτην*“; spe enim citius cum suo dolore intellexit, quam false judicarit ingenium Alexandri, quippe qui haud ita multo post cum acie instructa Thebarum ante portas non solum Thebanis extorqueret confessionem, inanem ipsos fovisse spem libertatis, sed etiam Athenienses tanta afficeret trepidatione, ut veniam impetratum legatos ad eum mitterent. Perraro ejus sermo est commotior, quam

quum expressis verbis de periculo admoneat dilectissimae patriae conflato. Ne expulsus quidem ex patria constantiae suae immemor ab ea defecit, conditionem contra reipublicae miserrimam ante ejus oculos semper versatam summo dolore ac tristitia eum affecisse immo fletum ei movisse tradunt auctores. Illius rei fides vel ea sit, quod, egregius exsul! Alexandro mortuo ingratae timens patriae ad diversas profectus est civitates, adhortaturus cives, ut, aliqua salutis luce oblata, se defenderent et caverent a Macedonum servitute, magis in dies imminente.

Quid hoc est aliud, nisi amor, qui vel opinione et praeceptis religionem christianam profitentium summa laude est exornandus? Ut bonus amicus optime semper cognoscitur in rebus angustis, ita verus patriae amor in rebus dubiis. „Is est amicus“, ait Cicero, „qui juvat in rebus adversis“; et hoc valet in Demosthene quoque, qui patria oppressa non solum non destitit de ejus amore, verum etiam contraxit eum et auxit, quum beneficia suae eloquentiae non conferret in patriam nisi duriore fortuna conflictatam Macedonumque insidiis labefactam. Tum vero patriae amore ceteros ante ipsum de ea meritos hac superabat re, ut non solum suam patriam, Athenas, sed totam Graeciam a Macedonum potestate tutam esse cuperet, et equidem non dubito, quin Philippus, Demosthenis consiliis haud neglectis, intra fines Macedoniae retineri potuerit. Ad summam haud nimium contendere mihi videor, dicens, patriae amorem plus minusve et principium et finem plurimarum ejus actionum fuisse; incertum est, an ipsam mortem voluntariam, aliter ab aliis explicatam, patriae amore adductus oppetierit, quum libertate, patriae dilectissimae meliore parte amissa, se non amplius vivere posse crederet. Quid vero, quod Phocionis auspiciis in pugna ad Chaeroneam facta, scuto abjecto, fuga salutem petiit? Illud crimen, ut gravissimo utar verbo, quod magnam ignaviae prae se fert speciem, a Demosthene omnino propulsare non possumus, sed utcunque res se habet, qui altius inquisiverit in Demosthenis vitam, in eo, quamvis nescio quo inexspectato timore incitatus locum pugnae deseruerit, non offendet ignaviam ejus propriam atque a patriae amore alienam, sicut simile cognomen non indet Ulixi, qui quum Paris Hectorque comitati Jovis fulguribus coru-

scantibus, armati appropinquarent, negligens Diomedis adhortationes Nestorem amicum deseruit (Hom. Iliados VIII v. 97—98); quare iniquiores mihi videntur illi judices quum veteres tum recentiores, qui, neglecta Demosthenis vita acta, nihil omnino excusationis admittant, qua judicium de ejus fuga severum mitigetur. Etenim, ne nimis movear excusatione vulgata, viros in litteris versatos, quamvis patriae diligentes, haud raro vitio nescio quo natura insito, timere, accingere se gladio et infestis contra hostes signis consistere, persuasum habeas, illam pugnam inopportuno tempore non eo auctore esse susceptam, atque quum belli fortuna non esset anceps, victoriae spe plane praecisa, fugientem eum prohibuisse, ne Philippus, quem in ipsum prae ceteris animadversurum non nesciebat, in eum vitae necisque haberet potestatem. Quin equidem opinione auguror, eum fuga impedire voluisse, ne patria privaretur ipsius consiliis, quibus concionans eodem Philippo teste magnis copiis reipublicae erat utilior. Atque etiam, mea quidem sententia, fugae turpitudo ab hominibus vel contrariam opinionem bona fide rectam secutis vel malignis saepe ineptiis puerilibus justo magis aucta, quodammodo deletur eo, quod alter Horatius, (Hor. lib. II. carm. 7, 10. 11.) ipse se peccasse professus est, quare Athenienses, de ejus patriae amore non dubitantes, recte fecisse mihi videntur, quod eum, praesertim qui adeo sudasset pro communi commodo, elegerint, ut in laudem eorum, qui ad Chaeroneam vitam pro patria posuerant, verba faceret. Tum vero, ut ex ejus orationibus Philippicis satis apparet, tanta erat sagacitate et judicii acie, ut non solum multorum Philippi pecunia corruptorum cogitationes et consilia reipublicae inimica plane perspiceret, sed etiam alta mente animoque praesagiente longe in posterum prospiceret, id quod non celabat cives, quem quaeque res exitum habitura quaeque tandem sors et Atheniensium et ceterorum Graecorum futura esset. Quam rem ut exemplo persequar, neminem habeo, quem afferam locupletiorem testem, quam Philippum, Macedonum regem, qui, Graecorum opibus ad Chaeroneam eversis, gaudio opimae victoriae elatus, non semel „*Δημοσθένης*, inquit, *Δημοσθένης παιανιεὺς τάδε εἶπεν*“. Quamvis quidem Demosthenes haud ignoraret, se ejusmodi rebus enarrandis minime delectaturum

esse animos auditorum, adeo tamen erat amans veri et patriae diligens, ut suas de republica sententias non, populi fluctibus jactatus, accommodaret auribus auditorum, quibus eo tempore propter mores jam effeminatos salus reipublicae non satis erat cordi, sed non repugnantes contra aequitatem ac veritatem, reipublicae potius aptaret utilitati salutique, quare recte eum exhibent optime intellexisse illud Solonis: „*Συμβουλεύου μὴ τὰ ἥδιστα ἀλλὰ τὰ βέλτιστα τοῖς πολίταις*“. Nescio an ei non aeque atque Epaminondae, quem ne joco quidem mentitum ferunt, mendacium honestum dicenti, in rebus nullius vel inferioris momenti veritatis haud satis studioso, religio sit injecta, at nihilominus tam alienus fuisse fertur a moribus aequalium posterorumque virorum politicorum, quos inter scite mentiri in rebus publicis atque inter esse peritum rerum civilium nihil interesse arbitratos apertum est, ut dubitem an Atheniensium aliquando legatus ad Philippum missus legatione renuntiata, regi interroganti eum, si quid Atheniensibus favere posset, veritatis studio magis quam odio incitatus responderit: Gratissimum iis feceris, si collum inserueris in laqueum.

Quanta denique morum integritas suimet ipsius commodi plane negligens! Spe amplissimorum praemiorum certo non ingressus est in rempublicam, quippe qui non solum in oratione „de corona“ dictis quasi glorietur, se nunquam nimis secutum suas utilitates, sed vel ex suamet ipsius re familiari aliquantum sumptus faceret in amplificandum Piraeum et praeterea ad milites, ut traditur, contra Macedones mercede conducendos. Nonne usu atque fama haud dubia edoctus satis sciebat, quale impenderet praemium rempublicam capessentibus, quum ne justi quidem ingratorum civium invidiam effugere possent? Si pecunia corrumpi potuisset, id quod eo tempore apud Graecos, a virtute majorum degenerantes, adeo moris fuisse scimus, ut post diuturnam pugnam non tam vi et armis quam largitione Macedonum inferiores facti sint, quam ob rem ille „*ἀνὴρ Μακεδών*“ „omnia castella expugnare se posse dicebat, in quae modo asellus auro onustus posset ascendere“ (cf. Cicero ad Att. I. 16. Demosth. *περὶ παραπρεσβ.* p. 362; Hor. lib. III. carm. XVI, 13—15.): si illi largitioni infinitae, inquam, ad eum aditus fuisset, ejusdem Philippi amplissimis atque certissimis

praemiis corruptus patriam et communem utilitatem prodidisset ac deseruisset. Sed ut rupes scopulive procellis imbribusque undique vexati et obruti semper sunt immobiles, ita omnem spem corrumpendi Demosthenis ad irritum redactam et tamquam navem ad scopulos ad ejus integritatem morumque candorem adflictam videmus, quam virtutem in illustri positam monumento homines tantum invidi et maledici dentibus suis carpere conati sunt.

Ac primum quidem fuerunt, qui dicerent, eum, incerto Alexandri mortis nuntio allato, Persarum auro corruptum erexisse Thebanos in spem libertatis, inducentem eos, ut armis captis se liberare auderent servitute Macedonum. Sed in hac re indicasse sufficiat, scriptores fidem tantum Alexandri, cui Demosthenem summo odio fuisse nemo mirabitur, secutos commentariis mandasse, epistolas ab Alexandro apud Sardium satrapem inventas manifeste probare, Demosthenem, quum ad arma capessenda excitaret Thebanos, mercede conductum pro Persis egisse contra Macedones.

At nonne causa, quam vocant Harpalicam, satis evidenter declarat, Demosthenem a depravatis moribus sui temporis omnino alienum non fuisse, quum pecunia corruptus Harpalum, sumptuosum illum Babyloniae satrapem, adjuvisse feratur, ut salvus e carcere custodiaque Atheniensium effugeret? Haud ignarus sum, eam rem, pluribus a Plutarcho narratam, ad Areopagitarum senatum, penes quem judicium de plurimis causis erat, esse delatam atque Demosthenem pro sua parte indicta fere causa damnatum, tanta pecunia esse multatum, quantam ab Harpalo eum accepisse censebant. Quam quum propter angustias rei familiaris solvere non posset, e carcere elapsus, sua sponte in exilium cessit, saepe atque iterum se reum esse negans, quam fidem, discrepantem ab opinione nonnullorum antiquitatis scriptorum, plerique secuti sunt viri docti.

Ne animi inclinatione aliqua vel opinione praejudicata ducamur, neve dubia pro certis et falsa pro veris amplectamur in hac quaestione admodum impedita, primo, ut testibus allatis diligenter penitusque cognoscamus rem atque malevolorum obtrectationes et invidias, quantum fieri potest, prosternamus atque obteramus, citare licebit eloquentissimo-

rum nostratium de illa re opiniones, ut quae proxime ad verum accedere mihi videantur, Niburii Heereniique. Habes prioris verba: „Deshalb vornehmlich hatte ich ihn (Demosthenes) einen Heiligen genannt: ich beneide den nicht, der anders richtet. Sein ganzes Leben als Bürger, seine Ehre, sind ohne Flecken und Wandel. Und es wäre doch endlich Zeit, dass das alte Lied von der Bestechung durch Harpalus verstummte. Die Vorsehung, welche gestattet hat, dass die Ehre des edelsten aller Staatsmänner für Leichtgläubige verunglimpft war, hat alle Umstände der Verhandlung so erhalten lassen, dass die Schändlichkeit der Verläumdung am Tage liegt, als ob wir Zeitgenossen wären". Habes item alterius verba: „Demosthenes ist ein reiner Character, auf den nur die Lästerung Flecken zu bringen gesucht hat. Wir halten es für verdienstlicher, diese Ueberzeugung geradezu auszusprechen, als mit halbem Winde zu segeln, und der Verläumdung doch in etwas Recht zu geben."

His missis ex iis sane, quae Demosthenes, quem pueritia durissima, ut jam supra docui, certamine fraudis aliquamdiu implicata, ad honestatem et justitiam finxisse videtur, imputato crimine se purgaturus ipse protulit, optime reprobari posset illa accusatio; quum vero nihil ejusmodi in promptu sit, non potest refutari ita, ut, accusatione defessa, nihil omnino dubitationis relinquatur. Sed utcunque erit, non caremus argumentis, quibus magis quam verisimile apparebit, Demosthenem, qualem quidem plerique, in quibus aliquid sani judicii, semper eum putarunt, crimen ab ipsius inimicis multum jactatum, non commisisse. Jam ponderemus, quanti illa sint argumenta, quae nosse et illustrare operae pretium est, ut quibus rationis voce certissima et rerum fide integra oppositis, opinioni labanti et suspicioni ex invidia ac contumelia natae, illa accusatio, a viris quamvis nobilibus fulta, maximam tamen partem ad nihilum concidat. Namque primum omnium summopere jam suspicari licet, pecuniam non accepisse Demosthenem, quippe quo neminem ab initio pertinacius Harpali voluntati, qua ab Atheniensibus optabat, ut in eorum civitatem exciperetur, obstitisse fixum et statutum sit, atque Harpalo Demosthenis imprimis auctoritate in carcerem conjecto, ipse Hyperides, Demosthenis aemulus, eandem rem satis affirmavit vitupe-

rando Demosthenem, quod Alexandri metu adductus nimis adversaretur Harpalo. Quod vero Plutarchus et alii annalium monumentis tradiderunt, eum praeter omnem opinionem de sententia sua pristina decessisse auroque corruptum, vocis raucitatem simulantem, non escendisse in rostra, quum in concione de Harpali optato aut probando aut rejiciendo actum est, nihil hoc valet ad infirmandam ceterorum argumentorum vim; illorum enim testimonia, quum argumentis non allatis asseverent rem tamquam ab omnibus concessam, tanti modo sunt, quanti fides, quam, rebus ita se habentibus, cuique eorum habendam esse arbitramur; nemo vero, hoc addam, sapiens et justus nimia credulitate, a quocunque narrantur, res pro veris accipit, neque in rebus tantae gravitatis opinione errori subjecta ducitur, sed non sequitur nisi argumenta omni dubitatione et errore carentia. Si cui, quare multis in suspicionem venit Demosthenes, graviorem forte attulerit offensionem, eum, id quod speciem culpae quamvis tenuem prae se ferens ejus inimici in suum convertere potuerunt, primo pertinacissime obstitisse Harpali optatis et haud ita multo post eundem adjuvisse, ut ex carcere effugeret, ad suspicionem removendam in animum inducat velim, aliud esse, Athenienses, Harpali voluntate laudata, bello se implicasse cum Alexandro, aliud, non impediisse, quin Harpalus Alexandro traderetur. Ac praeterea, ut latius me fundam, non defuerunt, qui causis haud dubie gravissimis nixi discrepantes a Demosthenis adversariis credere dubitarent, eum pecuniae, ipsius auctoritate in Acropolin tranportandae ibique numerandae interfuisse, eaque occasione oblata usum partem illius pecuniae clam de medio removisse. Prae ceteris, ut ad convellendam contrariam opinionem testem provocem, memorabilis mihi videtur esse locus ex Grotei, locupletissimi auctoris, historia petitus, qui re nostrae disputationi subjecta in utramque partem diserte disputata, Demosthenem purgat illo crimine hisce verbis: „As to the intermediate process, of taking the money from Harpalus up to the Acropolis, there is no proofand in my judgement no probability — that Demosthenes was at all concerned in it. Even to count, verify and weigh a sum of above 80,000 L. not in Bank-Exchange, but subdivided in numerous and heavy coins (staters, darics, tetradrachms)

likely not to be even Attic, but Asiatic — must have been a tedious duty requiring to be performed by competent reckoners and foreign to the habits of Demosthenes" Grot. VIII. p. 504.

Tum vero testimoniis comprobatum fide non indignis habeas perspectum licet, ad pecuniam in Acropoli depositam Demosthenem nullo modo accedere potuisse, quum in aerario publico custodienda credita esset diligentissimis custodibus, qui ne tenuissima quidem suspicione attigerunt Demosthenem, neque unquam de eorum fide quempiam detraxisse quidquam audivi. Si quid in eo culpae, haud vituperandus mihi videtur, nisi quod, quamvis munus, quo fungebatur, necessitatem ei imponere nequiret, per imprudentiam ac negligentiam, ex animo criminis sibi non conscio haud dubie natam, non sua causa ipse quaesiverit ex illis custodibus, quanta profecto esset Harpali pecunia, ut hac ratione populum in concione errore potuisset liberare, in quem Harpalo auctore eum induxerat, quum ille publice magnitudinem suae pecuniae interrogatus per Demosthenem respondit, 700 esse talenta, ex qua re maximas suspiciones traxisse videntur Athenienses. „Ἐν τῷ δήμῳ, inquit Hyperides, ἑπτακόσια φήσας (Demosthenes) εἶναι τάλαντα νῦν τὰ ἡμίση ἀναφέρεις". (cf. fragm. Hyperidis.) Utrum vero Harpalus, ne dicam consulto et cogitate eum mentitum, intelligi voluerit, tantam fuisse suam pecuniam, quum Athenas adveniret, an eo tempore, quo Demosthenis auctoritate in concione interrogatus est, haudquaquam constat. Restat alia ratio, quae ut aliquantum nostrae de hac re opinioni addit fidei, ita prorsus improbari nequit. Etenim quum numeratam pecuniam non esse tantam intellexissent Athenienses, quantam Harpalus se iis tradidisse contendit, Areopagitarum senatus non nisi auctoritate Demosthenis, qui ut auctores criminis ad supplicium deposcerentur in concione ad populum ferebat, inquisivit, quis summovisset pecuniam desideratam. An vero Demosthenem semet ipsum esse reum sibi conscium illam quaestionem laturum fuisse putabimus? Si ad verum propius accedere volemus in hac quaestione, hoc imprimis respiciendum erit, quae fuerit Demosthenis vita quive mores, quibus quum ante, tum post illam accusationem summopere floruit, ingenuitatem ejus

dico et honestatem candidam. Quum praeterea apud omnes in confessum veniat, Phocionem, Atheniensium ducem, alterum Aristidem multosque alios Athenienses, pari scelere obstrictos, ceteroquin viros justos et honestos civibus haud suspectos, non impediisse, quominus Harpalus effugeret manus Alexandri, nihil equidem crediderim erat causae, quod Demosthenes incideret in civium suspicionem quodque ei opinionem probitatis usque adhuc in omnium animis atque ore versatae detraherent. Num argumentorum momentis nixi duriorem suspicionem in eum contulerunt? Tantum aberat, ut Dinarchi Hyperidisque orationes accusatoriae, id quod exspectabis, pollerent argumentis factisque accusationis comprobandae, ut nihil omnino continerent, nisi flumen inanium verborum; quin etiam, quod est plurimum ad nostram sententiam stabiliendam, lite sex per menses acta, ipse Areopagus, o, justitiam inauditam et monstri similem! neque erit qui hoc negare queat, nullas sententiae latae attulit rationes, sed nullis nixus testimoniis, nisi quae fama, qua res quamvis incertae saepe in majus extolluntur, et auditione acceperat, tabellis non prolatis, testibus non adhibitis, ne diluendi quidem criminis potestate data, pronuntiabat tantum nomina damnatorum ac quantum pecuniae quisque eorum solvere deberet, interque multos animos suspensos Demosthenes praeter exspectationem se quoque proditionis accusatum et falsa judicum sententia reorum in numerum adscriptum esse audivit. Praeterea, ne quid gravioris momenti missum faciam, silentio hoc loco praeterire non possum, quominus Demosthenes eo ipso tempore, quo damnatus est, minime fructus sit aura favoris popularis, quum per se pateat, eum jam pridem invisum fuisse iis, qui dissentientes ab eo cupiebant Macedonibus, nuperrime vero, quum dissuaderet, ne Harpali obsequerentur voluntati, ab Alexandro eum stare existimabant. Jamjam minime igitur miror, accidisse, ut, id quod mobilis multitudinis est proprium, praesertim quum alii, nominis ac dignitatis amplitudine imminentes, ut sibi ex invidia alterius auram favoris popularis petant, voce iis praeeant, quid judicent.

„*Εὐκίνητος*, ait Plutarchus, *πρὸς ὀργὴν, εὐμετάθετος πρὸς ἔλεον, μᾶλλον ὀξέως ὑπονοεῖν ἢ διδάσκεσθαι καθ᾽ἡσυχίαν βουλόμενος*“ sincera rei gravissimae inquisitione non

facta in suspicionem veniret praestigiis quibusdam et captionibus a vero depulsorum prorsusque a se abalienaret eos, qui usque adeo ejus consilia reipublicae capessendae secuti erant, ut perinde aequi eum deseruerint, atque iniqui. „Tempora si fuerint nubila, solus eris“. Relictis multis aliis argumentis, quae subactiori judicio facile occurrunt, unum, id quod ad nostram rem non sine ullo momento est, monendum mihi videtur, Athenienses, Alexandro opinione citius mortuo, paulo post Demosthenem expulsum, praeclare de eo sperantes ex exilio revocasse, quem in antiquum locum honoris restituerent, nave publica missa, qua Athenas rediens veheretur. Atque, o, voluntates hominum mutabiles! ejus adventus gaudio invicem sibi gratulantes, concursu omnis civitatis ad Piraeum facto, tantum ajunt scriptores egisse Athenienses triumphum, quantum non duxerant inde ab eo tempore, quo Alcibiades exsul in gratiam restitutus Athenas rediit, quum vel diem praedicarent, qui Demosthenem iis restituerit. Pecuniam scilicet, qua multatus erat, solverat; minime, et ne poscebant quidem eam solvendam, sed Athenienses voluntaria quadam oblivione contrivisse credo crimen illud fictum ac tandem intellexisse videntur, quantum in Demosthene reipublicae esset praesidii („Virtutem, ait Horatius, incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi“) eundemque esse virum, cui patriae salus maximae erat curae, neminem eo esse aptiorem, qui eloquentia spem reipublicae salutis intermortuam et paene perditam renovaret; sed, quod est proprium nostrae quaestionis, quodque nostra hoc loco plurimum interest, Demosthene revocando, praeteritam culpam redempturi luculentissime, quantum equidem existimo, declararunt, quanti ipsorum sententia haud ita multo antelata habenda esset; quae enim, novem tantum, nisi fallor, mensibus interpositis, potuit esse justa causa ejus revocandi, nisi fuisset injusta ejiciendi? Ut denique nullo suspicionis loco relicto rem plane, quae sit, videre possis, praetermissis singularibus honoribus, quibus Athenienses Demosthenis quum magna in patriam merita, tum morum ejus candorem integrum remuneraturi, mortuum eum decorarunt, ex tot et tam disertis testimoniis unum tantum provoco antiquitatis testem, Pausaniam, quum qui eo accuratius de hac re disputarit

sciam neminem. Verumtamen ad bene intelligendum illum locum memorabilem in memoriam revoces necesse erit, Philoxenum, quem Alexander rei maritimae praefecerat, forte cepisse unum ex Harpali servis, qui, hoc quaestionis caput gravissimum adjiciam, Harpalo minime gratus acceptusque erat, eumque quam accuratissime percontatum de ejus domini causa nihil comperisse, quod ulla ratione posset infringere Demosthenis famam gloriamque honestatis integrae. (Paus. II. 33, 4: „*Τὸν δὲ παῖδα ἔχων ἤλεγχεν ἐς ὃ πάντα ἐπύθετο, ὅσοι τῶν Ἁρπάλου τι ἔτυχον εἰληφότες· μαθὼν δὲ ἐς Ἀθήνας γράμματα ἐπέστελλεν. Ἐν τούτοις τοῖς γράμμασι τοὺς λαβόντας παρὰ Ἁρπάλου καταριθμῶν καὶ αὐτοὺς καὶ ὁπόσον αὐτῶν ἔλαβεν ἕκαστος, οὐδὲ ἐμνημόνευσεν ἀρχὴν Δημοσθένους, Ἀλεξάνδρῳ τε ἐς τὰ μάλιστα ἀπεχθανομένου καὶ αὐτὸς ἰδίᾳ προσκρούσας.*“)

Multa quidem virorum doctorum cujusvis aetatis testimonia diserta de Demosthenis integritate inviolatâ, ne dicam sacrâ, afferre possum, sed quid plura, quum qui his positis atque concessis totam rem accurate perspexerit, vix dubitare possit, quin illud crimen in Demosthenem collatum impudentissimis mendaciis contextum, immo, tot disertis testimoniis contrarium, ex vano haustum fuerit. Atque vero apertum est ad intelligendum neque tenuissima, mehercule! dubitatio esse potest, Demosthenem exsulem eandem quam ceteros Atheniensium viros illustres subiisse ingratorum civium invidiam .

Exposui fere, ut potui, quae fuerint summae Demosthenis virtutes, quales in ejus vitam reipublicae administrandae datam quamvis obiter inquirentibus facile occurrunt; reliquum est igitur, ut constitutum ordinem secutus, ejus dicendi virtutes breviter perstringam. Vocabulo „breviter“ intelligi volo, mihi non in animo esse, omnia afferre testimonia tot virorum doctorum de mira Demosthenis dicendi arte, neque etiam multas Demosthenis orationes, tot monumenta perfectissimae eloquentiae, arte quodammodo critica judicare ac deinceps perscrutari, quum verear, ne hac ratione extra terminos mihi constitutos egresso finem scribendi invenire difficile sit, sed quae antea studiose legendo ejus orationes mentem sensumque acriter pellentia in meum

demisi pectus, eorum refricatam memoriam, ut potero, enarrare placet. —

Veterum Graecorum annales evolventi, ut prima lineamenta imaginis Demosthenis eloquentiae ducens, omissa sophistarum doctrina, qui aperte profitebantur, sese mercede docere artem „τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν“ paucis admoneam de consuetudine ac moribus Demosthenis majorum aequaliumque pro concione dicentium, qui ad movendam approbationem creduli populi, sua sponte fraudem et mendacia induebant veritatis specie, saepenumero mihi quaerendum est visum, qui potissimum factum sit, ut Athenienses omnes fere viros illustres ac de republica bene meritos e civitate ejecerint. Atque facile eam causam, ut jam indicavi, maxime positam reperi in nonnullorum aequalium aemulatione et invidia, quam civibus ignaris patriae amorem aliamve ejusmodi virtutem esse perlevi momento probarunt. Longum est illius rei exempla afferre, praesertim quum sint cognitiora, quam ut enumerentur oporteat. Nemo enim, rerum haud nimis rudis, ignorat, multos, ne dicam plerosque, summis honoribus in Atheniensium civitate perfunctos, non meritis ac dignitate nixos, sed fuco potius speciei forensis, quo hominum animi, rem haud raro specie metientes, spe saepius decipiuntur, confisos plausum popularem quaesivisse et blanditiis mendaciisque in dicendo adhibitis, alios in amplissimo gradu dignitatis collocatos plebiscito a gubernaculis reipublicae dejecisse, ut pro iis summo praeessent magistratui. Demosthenes contra, quem veritatis diligentissimum populi errores nunquam aucupatum jam supra exposuimus, suarum rerum negligens omnem dedit operam, ut sagacitate mentisque acie veritatem ac naturam cujusque rei populo in concione probandae, qualis profecto esset quam diligentissime expiscaretur, et causis rationibusque nixus civibus eam accurate explicaret acuque enucleret; quare non injuria in eo summis effertur laudibus illud „πραγματικόν“. Unde etiam factum est, ut, quantum in eo erat, diligentissima rei inquisitione facta, ipse persuasum haberet, bene se concionantem patriae consulere, atque propter hanc ipsam rem in ejus verba non solum rationes omnibus perspicuas, sed etiam sensus effusa videmus, id quod ab homine mendace plerumque alienum, magna ex parte facit sincerum disertum. Mutato nomine in eum

apte conveniunt verba Demogeoti, quibus laudat Bossuetum, Gallofrancorum oratorem praeclarissimum: „Il n'était grand orateur, ait, que parcequ'il était plein de la doctrine, qu'il devait enseigner". (Demogeot, „Histoire de la littérature française" p. 444). Ut medicus diligens, qui discipulos accurate docere volet, quomodo membra corporis moveantur ejusque partes inter se cohaereant, vel qua parte corporis fuerit sedes morbi, quo quis consumptus est, cadaveris retegit omnes nervos atque musculos et ante omnia perscrutatur partes morbo affectas, ita Demosthenes orationibus Philippicis, quas tot praecepta diligentissimi ac benevolentissimi medici appellari licet, sine ullo fuco fontes rei, quae in disputationem venit, auditoribus ostendit causasque vel intimas ante eorum oculos posuit, haud quidquam reticens earum rerum, quae civibus probatae statimque susceptae saluti esse possent reipublicae afflictae. Sibi conscius, quam verum sit illud Aristotelis, „*Αἱ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ' ἄλλα προσθῆκαι*" nullam rem defendit, quam non probarit. Neque satis habet unum alterumve attulisse argumentum, quo probet rem in disceptationem vocatam, sed ratiocinandi vi tamquam agmine facto undique impetum facit in auditores, omnibusque effugii viis intersaeptis, summa mentis acie hinc atque illinc oratoriae immittit tela tam bene directa, quae nunquam frustra incidant, verum extorqueant, ut auditores reluctantes ac dubitationi indulgentes sese victos esse tandem fateantur. En quanto studio orationes sint elaboratae, quanta arte compositae! Etenim non solum omnia dicta sunt, quae dici potuerunt, sed suo quaeque etiam loco, ubi plurimum proficere et valere possint, sunt deposita.

Nunquam pro rostris apparuit, nisi bene praeparatus, semper enim elucubrabat suas orationes ita, ut lacernam eas olere dicerent. Si unam alteramve ex multis ejus orationibus legeris, facile concedes, fieri non potuisse, quin aliquantum operae ac curae impenderit iis commentandis. Etenim non solum argumentatio maxime semper perspicua, quum generibus eam aptissime illustret partibusque distribuat, sed etiam sententiarum constructio tam est rotunda et vocabulorum scientissime electorum structura tam perfecta, ut nihil fere perfectius cogitari possit, quare Cicero „Demosthenes, ait, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus

putaretur". Postquam vero auditores, ut supra explicavi, vi, cui resisti nequit, argumentorum, quae non sunt longe petita, sed ex intima causa deprompta, immo ex ipsis visceribus causae sunt sumpta, oppressos tanquam humi prostravit, tum implorat eorum sensus, sed ita tamen, ut impetus simul intendat in eorum mentis judicium et rationis facultates, qua quidem re Demosthenes omnino differt a Cicerone, qui minus ad judicium, sed ad teneros potius provocabat auditorum sensus. Ad id, auditores religione quadam ac pudore impleturus, crebro deos immortales et justos invocat ultores scelerum, aequaliumque cum patrum moribus comparans eos testatur per eosdem deos, ut iis in mentem veniat majorum virtutis, qua Atheniensium opes et partae et auctae sint; „*Οὐ γὰρ ἀλλοτρίοις*, ait in oratione Olynthica tertia, *ὑμῖν χρωμένοις παραδείγμασιν, ἀλλ' οἰκείοις, ὦ α. Α., εὐδαίμοσιν ἔξεστι γενέσθαι*" (Olynth. III, §. 23); nunc iis objicit crimen inconstantiae, cujus quidem rei exempla invenimus in oratione Olynthica secunda, ubi adeo invehitur in Atheniensum inconstantiam, ut nesciam an justum iis moverit ruborem; nunc affectus excitat orans eos atque obsecrans, ne sint immemores, quae debeant patriae, communi omnium matri; nunc, exposita periculi magnitudine ac spe firmata, hostem posse vinci, mentes auditorum convertens in „*συμφέρον*" acerrimae defensionis, atque „*καλόν*" eorum animos regit et flectit quum timore turpis detrimenti accipiendi et servitutis impendentis, tum spe rerum prosperarum, quae fortitudinem et audaciam secuturae sint, iisque movet reverentiam deorum, quos semel neglectos et contemptos perpetuo se aversuros minitatur ab Atheniensibus, quibus prae ceteris semper faverint. Neminem certe, qui vel festinanter legerit Demosthenis orationes, fugerit, quam frequenter ac quam feliciter ad movendos auditorum animos utatur genere dicendi, quod veteres vocabant „*σχῆμα ὀμοτικόν*" quum saepe atque iterum apud eum inveniamus: *πρὸς Διός* vel *πρὸς θεῶν*, vel *μὰ τοὺς θεούς* vel alias dictiones his similes. Nullum vero ejusmodi habeo exemplum magis unquam laudatum, quam quod est in oratione „*περὶ στεφάνου*" quo nescio an opportunius quidquam fingi potuerit, quo quidem admoniti de victoriis ad Plataeas, Marathonem Salaminemque reportatis Athenienses in oblivionem venerunt recentis cladis

ad Chaeroneam acceptae: „*Οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους, καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας, καὶ τοὺς ἐπ' Ἀρτεμισίῳ, καὶ πολλοὺς ἑτέρους τοὺς ἐν τοῖς δημοσίοις μνήμασι κειμένους ἀγαθοὺς ἄνδρας, οὓς ἅπαντας ὁμοίως ἡ πόλις τῆς αὐτῆς ἀξιώσασα τιμῆς ἔθαψεν, Αἰσχίνη, οὐχὶ τοὺς κατορθώσαντας αὐτῶν, οὐδὲ τοὺς κρατήσαντας μόνους δικαίως. Ὃ μὲν γὰρ ἦν ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἔργον, ἅπασι πέπρακται.*“ (cf. *περὶ τοῦ Στεφ.* §. 208.) En quantus simul numeri splendor in eodem loco! Adeo crescit, ut manes majorum tamquam ab inferis revocati iterum pugnandi cupiditate flagrantes strictis gladiis in acie instrui videantur. Ac quamvis accurate subtiliterque semper inquireret in rem sibi propositam Demosthenes, tantum aberat, ut, id quod in Cicerone saepe offendimus, effusius dicendo taedio quodam unquam afficeret, ut plura in unum conducens tanta uteretur brevitate dicendi, ut ejus verba sententiis esse gravida, eumque sententiis magis quam verbis abundare exhiberent. Quotiescunque sententias amplificat, non fit, ut sermonibus referciat aures, quas nunquam inani verborum sono obtundit, quum verba non aucupetur, sed ut augeat argumentationis vim, quo majorem auditoris rationi imponat necessitatem consentiendi cum ipso, quare bene Longinus Demosthenis eloquentiam confert cum turbine ac fulmine, Ciceronis vero cum incendio longe lateque diffuso. Praeter multas alias stili proprietates ea quoque brevitate, prae ceteris scriptoribus Thucydidis propria, praeclarissimum illum historicum secutus videtur, cujus adeo erat diligens, ut ejus historiam octies sua manu scripsisse, vel, ut alii volunt ad verbum eam edidicisse feratur, atque illa quidem ipsa rerum compressione densa spissaque et breviloquentia efficitur illud, quod grammatici nominabant „*τὸ πυκνόν*“ et nesciò an in eadem re partim posita sit causa, quare in ejus scriptis multos inveniamus locos tam concisos ac difficiles, ut, pluribus sententiis in unam redactis ipse Wolfius, quamvis doctus utriusque linguae, fateatur, sese quosdam locos non potuisse illustrare. Verumtamen illa brevitas, qua usus tamen cavebat Demosthenes, ne quid defraudaret auditorem, non est nata ex omissis sententiarum partibus, vel vocabulis, quae necessario consideres necesse sit, ut intelligas et perspicias sententiam integram; ejus sententiae contra sunt

integrae earumque membra optime nexa; at si verum quaeris, illam brevitatem non tam in coarctatis et peranguste refertis argumentis quam in eo quod, „τάχος τῆς σημασίας“ impense admirati sunt veteres, positam esse invenies, in celeritate significationis, qua propriam uniuscujusque vocabuli vim ac significationem acu semper tangit, quum ejus orationes diligentissime essent elaboratae nullumque nisi bene consideratum ac veluti aurificis statera examinatum ex ejus ore proflueret verbum.

At nonne illo dicendi genere argumentandique ratione effecit, ut jejunior appareret oratio? Haud raro sane fieri solet, ut orationes, quae accomodatae ad docendum abundant praeceptis argumentisque, frigescant, neve, id quod est res maximi momenti, propter nimiam siccitatem ac jejunitatem, moveant oblectentve eos, qui audiunt. Certe quidem Demosthenis eloquentia prae ceteris virtutibus omnium maxime prae se fert argumentorum vim, et quamquam eum nimis magnum aequalium florem orationis lenociniaque haud secutum in confesso est, nihilominus res ipsae satis superque loquuntur, illam eloquentiae vim ac robur non surdis cecinisse auribus, sed mirum in modum movisse Atheniensium animos. Qui quamvis alieni a virtute et indigni vel nomine ad Marathonem Plataeasque tam gloriose pro patria mortuorum, otio diffluentes et imbelles mollitia animi liquescerent et effeminatorum more ludis scenicis magis delectarentur, quam prisca virtute militari, eo ipso tempore tam necessaria ad tutandam patriam, continuis fere lacessitam hostium incursionibus, attamen Demosthene tandem auctore politico quasi somno excussi bellum internecivum ultimamque susceperunt pugnam cum Philippo, Macedonum rege. Jam vero, ut ad delectationem me convertam, indicasse sufficiat, Demosthenem oratione „de Corona“ cycnea ipsius voce et oratione Dionysiorum Atticorum solemnibus non solum Atheniensium, verum totius Graeciae applausu primam oratoriae palmam tulisse. An vero Athenienses adeo exercitatis auribus tamque acri judicio praeditos atque, etiamsi recedam a sophistarum consuetudine ornate disserendi, assuetos Lysiae, Hyperidis Aeschinisque orationibus nitidis, Demostheni illam palmam daturos ejusque orationes tam singulari favore excepturos credemus, nisi plenae fuissent oblectationis? Omnes illos viros ad numerum decem ora-

torum adscriptos in „Bruto“ accurate recensuit Tullius eosque comparans cum Demosthene „nihil, ait, Lysiae subtilitate cedit, uihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeschini et splendore verborum“. Et equidem dicere ausim, Demostheni aetate provecto atque parum docto artis, qua ex communi consensu superioribus aequalibusque omnibus longe praestitit, in mentem venire non potuisse dicendi pro rostris, quum non nesciret, quam subtiles essent Athenienses in judicanda exercitatione forensi; neque enim eum jam abjecisse puto memoriam illius temporis, quo tanta utebantur subtilitate in aestimandis ejus oratoriae primitiis, ut in eo esset, qui ab iis in foro sibilatus plane desisteret de vitae ratione modo inita. Athenienses vero tam eximie delectatos esse Demosthenis eloquentia nemo mirabitur, qui quidem oculis sibi proposuerit egregiam illam vim pronuntiationis, qua in dicendo omnium mentes irretivit auresque et oculos potestate quasi divina ad se rapuit. Quanto studio se dederit in exercitationem illius artis supra enarratam pluribus verbis repetere omitto, sed ut ostendam, eum studium et labores suos non profudisse ac perdidisse, sed haud exiguam in ea sibi parasse facultatem, non habeo, quid potius in principio collocem, quam quod Aeschines, inimicissimus Demosthenis aemulus primusque secundum eum orator de eo praedicat. Qui quum a Demosthene oratione „κατὰ Κτησιφῶντος“ superatus Rhodi exsul suis rhetoricae discipulis aliquando recitasset orationem, qua habita in exilium missus erat atque illi valde eam laudassent, ipse admiratione quadam abreptus, quid, inquit, si eum ipsum audissetis dicentem! Tum vero Andronico, histrioni, pronuntiationis actionisque minime experti, aliquando ter interroganti Demosthenem, quid in rhethorica primum esse putaret, pronuntionem esse ter eum respondisse ferunt. Si vero histrio, qui modo delectare cupit auditores spectatoresve, et cujus praecipua delectandi vis in actione posita est, exercitatissimus, ut fertur, in sua arte ad Demosthenem accessit magistrum, quantam tandem oblectationem in Demosthenis orationibus fuisse putabimus? Orationis argumentum, quod ore tardi hebetisque oratoris tractatum, fortasse taedium quoddam attulisset auditoribus, animatum illecebris Demosthenis actionis, adeo mulsit voluntates ac tam suaviter semper oblectabat, ut in ejus auditores ab ipsius ore quasi pendentes optime quadrare

mihi videatur illud Virgilii: „Conticuere omnes intentique ora tenebant“ (Virg. Aen. II. 1.). Atqui Cicerone teste fuerunt, qui hanc artem pretio justo minore aestimantes censerent, Demosthenem unum praeter ceteros excelluisse solutissima figurarum consuetudine atque illa solum re inter Athenienses ceterosque Graecos tantam oratoris assecutum esse gloriam. Quin magna profecto cum solertia et peritia usus sit illis sententiarum figuris, „σχήματα τῆς διανοίας“ quibus, ex animi permotionibus natis, efficitur id, quod Graeci appellabant „δεινότης,“ dubitari nequit satisque elucet ex omnibus ejus orationibus, quare ii, qui etiam nostra aetate de oratoria disserunt, specimina figurarum consuetudinis plerumque afferunt ex Demosthenis scriptis petita. At nihilo secius pro mea quidem parte nunquam discedam in illorum opinionem, qui alieni, ut mihi videtur, ab Atheniensium moribus atque solum ex lectis ejus orationibus judicantes, sententiarum figuras Demosthenis actione magis placuisse existimarunt, verum in sententia permanebo, Demosthenem, oratoriae principem, cui qui praeferatur nemo a condito aevo reperiri potest, iterum respondentem Andronico, pronuntiationem primum esse in oratore simul caput suaemet ipsius artis laudasse. Haud raro cogitanti de mirificis ejus orationibus in mentem mihi venire solet Philippi, Macedonum regis, qui eas propter magnam vim actionis, quam prae se ferunt, cum militibus comparavit, et, ut narratur in vitis decem oratorum (845 c.) se, si audisset, inquit, Demosthenem dicentem facile suffragium laturum fuisse, qui dux contra ipsum crearetur, atque aures simul meas personare sentio illa voce Aeschinis: „Quid si ipsum audissetis dicentem?“ En quanta porro quum orationis dignitas sublimitasque tum dicendi simplicitas mirum in modum inter se conjuncta! quum oratio pro dignitate rei assurgat vel defluat! De illo ejus genere dicendi, qui plura velit, adeat Longini, eloquentiae doctoris, librum, qui est „περὶ ὕψεως.“ Minime quidem facetiis sed haud raro ironia in dicendo usus, nunquam tamen dignitatis immemor vulgaris vel humilis, sed dignissimum rebus iis, de quibus loquitur, sonum semper fundit, unde Cicero „humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate dicit“ atque quamvis flumine et ardore orationis abreptus interdum aquilae instar solito audacius quasi in altum evolet, men-

tem tamen solidam ac rationem liquidam nunquam amittit, nunquam inepte loquitur, nihil dicit nisi quae optime inter se cohaereant. Priusquam finem imponam enarrandis Demosthenis oratoriae virtutibus, ad perfecti oratoris speciem et formam adumbrandam paucis mentio facienda mihi videtur unius ex primis ejus virtutibus, paene a me praetermissae, quam Cicero in bono oratore inesse vult, quae est magna ejus scientia rerumque cognitio. Sexaginta, ut temporis angustiis inclusus, materia amplissima breviter strictimque defungar, scripsisse fertur orationes (56 *προοίμια* et sex epistolas) pro causis genere maxime diversis habitas, ex quibus, illas dico orationes, quas eum profecto scripsisse constat, manifeste patet, eum abundasse doctrina, et scientiam comprehendisse plurimarum rerum; quibus in promptu est omnibus, eum humanae naturae peritum hominumque morum haud expertem, non solum plane semper perspexisse auditorum indolem atque sententias, sive ingenium adversariorum mentesve judicum, quos sibi conciliare cupiebat, sed etiam prudenter, copiose, composite et eloquentissime aeque facile disputasse de rebus militaribus et civilibus cujusvis generis. At fortasse quisquam ordinem ac naturam mentis subtilis secutus, haud raro salutem totius reipublicae ex unius viri singulari virtute pependisse recordatus, quaesiverit, curnam Demosthenes, ejusmodi praeditus virtutibus, non potuerit Graeciam servare ab interitu ac potestate Macedonum. Causas eversi illius imperii persequi mihi non est propositum, sed quum in eas semel inciderim, quis tandem est, qui Demosthenis in rempublicam studii conscius affirmare audeat, Graecos, amissa libertate, unquam sub Philippi ditionem redigi potuisse, si Demosthenes, flagrans patriae amore reipublicae salutem suismet ipsius commodis praeferendo illi patriae internecioni obviam ire potuisset? Illae causae, ut eas magis digito quasi commonstrem, quam exponam, nullo modo repetendae sunt ex Demosthene, qui nulla mora interposita tantam operam totque labores frustra impendit in eas radicitus evellendas, sed ex Graecis potius ipsis et ex virtutibus militaribus eorum hostium. Namque, ut jam supra demonstravi, Athenienses ceteraeque Graeciae civitates, pristina virtute militari cum ludis scenicis commutata, quibus adeo favebant, ut imprimis Athenis integri dies a mane ad vesperum

docendis fabulis constituti essent, quum vel pecuniis ad res militares designatis ibidem ex plebiscito ad perfruendas ludorum voluptates uterentur, („ὧν οἱ μὲν τὰ στρατιωτικὰ τοῖς οἴκοι μένουσι διανέμουσι θεωρικά“ Olynth. III. 31.) imbecillitati se dediderant ac lasciviae, quare in eos quoque optime convenire mihi videntur verba Titi Livii, quibus labantis imperii Romanorum describit causas: „Nuper, ait, abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere.“ (Liv. praef.) Eo enim deperditae virtutis pervenerant, ut non amplius digni essent, qui originem ducerent ab iis, qui salute reipublicae in periculo versante ad Marathonem, quamvis pauci, maximis Persarum copiis resistere conati insigne tropaeum posuerunt, iis victis, qui domo profecti suo numero ac viribus confisi se idem victoriae monumentum erecturos esse falso putaverant. Quam ob rem Demosthenes rempublicam posse salvam esse negabat, nisi ad bonam frugem se recepissent cives: „ἀπαλλαγῆναι, ait, τούτων τῶν ἐθῶν“ et „μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν“. (Olynth. III. §. 32. 33.) Magnam jam partem emortuus erat ille animus, ut, id quod plus minusve de ceteris quoque valet Graeciae civitatibus, civis Atheniensis pugnae nuntius „Χαίρετε, νικῶμεν“ (cf. Lucian. pro lapsu in salut. 3.) gaudio victoriae reportatae nimis concitatus et quasi ebrius in foro moribundus ad terram deflueret. Graeci desierant, ipsi stipendia facere atque exercitu mercenario, duce strenuo, rei militaris parum perito, pro civili substituto; fortitudo plus minusve inane erat verbum, ac dubito an fieri potuerit, ut tota Graecia centum modo invenires viros illorum trecentorum similes, qui innumerabili barbarorum exercitui magna clade illata cum Leonida duce in faucibus Thermopylarum pugnantes vitam pro patria profuderunt. Tantum aberat, ut Graeci conjunctis viribus, quibus externos hostes tanta gloria rejecerant, communem libertatem ab hoste defenderent, ut inter semet ipsos discordes de principatu contendentes sibi ipsi inferrent arma, et rerum publicarum parum diligentes, pro se quaeque pugnaret civitas contra multo majorem manum externi hostis. Philippus autem, qui artis bellicae linguaeque Graecae studiosus, haud nequidquam tres annos Thebis vixerat, imperator peritissimus ac diligentissimus, temporibus callidissime inserviens, totum animum intendebat in Graecorum

discordiam moresque depravatos, quibus eum non minus quam gladio victorem evasisse jam supra satis commemoravi; iis enim potissimum utebatur optima opportunitate, subjiciendae totius Graeciae, itaque Graeci, tempestatibus intestinis perturbati, singuli pugnantes, exhaustis viribus, universi tandem victi sub ditionem venerunt Macedonum; itaque in iis peractum videmus id quod est apud Sallustium: „Discordia res maximae dilabuntur". (Sallust Jug. cap. 10. §. 6) Ut Noe quondam ipso deo auctore ad gentem nequitia ac scelere obstrictam missus centum viginti annos mira constantia nequidquam illi genti corruptae poenam interitus praedixit, ita Demosthenes, ut res Graecorum magis in dies labentes fulciret, eos pro virili parte plus triginta annos iterum atque iterum admonebat de periculo liberae impendente patriae, et quorsum illud periculum serius ocius evasurum esset pro rei necessitate gravissimis verbis etiam inculcabat civibus. Verumenimvero cum in orationibus, quas vocant Olynthicas, iterum atque iterum incidamus in verba „καιρὸς νῦν" alia his similia, quibus admonentur Athenienses de summa agendi necessitate, ac plus semel Demosthenes iis explicaret, haud difficile esse, Philippum proelio vincere, quippe qui „ἐπίορκος καὶ ἄπιστος" diis hominibusque esset invisus, quo magis periculum imminebat vehementissimum, eo graviora tamen obstacula intestina morbum in ipsis visceribus reipublicae furentem denuo fovere augereque videbantur. Quamvis Athenienses, qui in bello contra Philippum gerendo quasi totius Graeciae propugnatores primas partes susceperant, auctoritate ac dignitate admirabili Demosthenis attoniti et confusi pudore quodam morum inversorum et negligentiae in rebus publicis excitati plus semel consilium inirent, fortiter ac strenue defendendae libertatis, discordia tamen, imbecillitas et mollities adeo offecerant eorum mentis quasi luminibus, ut vel cito citius plane obliviscerentur promissionum consiliorumque, quae vix et aegre ceperant, vel cunctantes periculum summae rerum facere segniterque ad rem gerendam aggressi plerumque male essent parati. Omnes ait Aeschines communi imbecillitate virium „κοινὴ ἀπραξία" obstricti tenebantur, huc quoque spectat, id quod Demosthenes dicit in oratione Olynthica tertia: „ψήφισμα οὐδενὸς ἄξιόν ἐστιν, ἂν μὴ προσγένηται τὸ ποιεῖν ἐθέλειν τά γε δόξαντα ὑμᾶς".

(Olynth. III, §. 14.) Neque igitur miremur, res eum habuisse eventum, Graecos ad Chaeroneam omnino esse devictos a Macedonibus, ibique, tot Demosthenis adhortationibus consiliisque neglectis, amisisse libertatem parum et non tempestive defensam; haud miremur, inquam, quod Demosthenis oratio funebris in honorem eorum habita, qui hac pugna mortem oppetierant, simul oratio fuerit funebris libertatis amissae, quare Brouwer („Histoire de la civilisation des Grecs") recte: „Demosthène", ait, „prononça le discours funèbre sur les Athéniens, morts à Chéronée; ses paroles furent les derniers sons de la Grèce libre et indépendante." Quid Demosthenes senserit illis momentis, quibus amissa gloria dominationis ac finita vetustissima universae Graeciae libertate omnes de republica spes deperditas et quasi uno ictu profligatas exstinctasque vidit, is tantum verissime intelligere potest, qui simili ejus patriae amore commotus, alacri hilarique animo maximas pro patria subiit molestias et difficultates frangendas, ac majorem vitae partem nequicquam tandem se laborasse expertus est. Ejus sententiae de deploranda Graeciae sorte satis elucent ex ejus oratione funebri, supra commemorata, sub cujus finem pugnam ad Chaeroneam infeliciter pugnatam, vel milites in ea caesos confert cum occasu solis, quum libertatis solem, qui Graecorum animos tamdiu calefecerat, et tam opimas ingeniorum bonarumque artium ediderat fruges, cum illa pugna amissa, e Graecia excidisse plane intelligeret. Ut ignis, stramine foliisve nutritus, dum exstinguitur, vel homo, quum jam in eo sit, ut extremum vitae spiritum effundat, extremas vires quasi periclitaturus haud raro paulisper reviviscit et aliquantum fervoris et animi contentionis ostendit, ita Graeci velut animam momenti politici agentes, libertatem amissam recuperaturi conjunctarum virium ultimum quidem periculum fecerunt, sed frustra; Leosthene enim duce interfecto Graeci, id quod Demosthenis conjecturam de republica jam dudum captam confirmavit, ad Cranonem in Thessalia sitam ab Antipatro fusi fugatique sunt. Demosthenes autem, ne ipse, Antipatro omnium maxime invisus, cum amissa libertate, cujus integritate haud scio an cupidius quidquam amarit unquam atque dilexerit, victoris jussu etiam vita privaretur, neve libere natus tyranni beneficio gratiaque fructus longius eam produceret, Calauriam, in templum Neptuni se

contulit, ubi, repudiata impunitate ab Antipatri satellitibus ultro promissa, quum ipsorum regem, recente Graeciae clade improbisque ejus ruinis tantam adeptum potestatem, certo inultum impunitumque eum dimissurum esse pollicerentur, sexaginta tres annos natus, etiam morte sua quasi repraesentaturus libertatem, ad quam frustra conclamaverat cives, veneno sumpto, quod semper secum portasse fertur, cursum vitae pro republica quam libentissime in discrimen oblatae confecit. Athenienses itaque probe memores magnorum ejus de patria meritorum coluerunt diem, quo quidem vita excesserat, sacris et intemerato jejunio retinendo, praeterea autem natu maximum quemque ex Demosthenis gente publice in Prytaneo alendum esse decreverunt. Atque ut posteritas quoque admoneretur de acerrimo illo et fidelissimo libertatis defensore statuam ei posuerunt ex aere factam. Verum ipse suis scriptis aere perennius sibi condidit monumentum, quod quum ipsius morum candore, tum ingenii acumine, venustate et elegantia atque eloquentiae copia et varietate immortalitati traditum semper floruit florebitque. „At the head of all the mighty masters of speech, ait Broughamus, the adoration of ages has consecrated his (Demosthenes) place; and the loss of the noble instrument, with which he forged and launched his thunders, is sure to maintain it unapproachable for ever.“ (Lord Brougham, „Eloquence of the ancients“. Works VII, 59.)

Macti igitur virtute estote juvenes optimarum artium studiosi, strenue operati litteris, totis incumbite viribus in studium gravissimi illius et locupletissimi oratoris, cujus scriptis copiosissimis accurate legendis nulla non voluptate perfundamini, sed praeter oblectamenta jucundissima ex eorum lectione colligatis quoque velim fructus haud vulgares, quibus sunt referta, doctrinam solidam, literarum varietatem, scientiamque frugiferam cujuslibet generis.

NOV 1 1873

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 050 180 9